



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem& perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Explanatio puncti 5ti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

Explanatio puncti sti.

Meticulosus, pusillanimis, inconstans, sensualis, propriusque inhians commodis non est aptus ad magna: *Qui* quærit ea, *quæ sunt* *7* *ESU* *Christi*, cordatus sit ac generosus, necessum est, quod consistit *primò* in hoc, ut te ipsum non quæras, libertatem Apostolicam non perdas, nec ulli ob munuscula, hos, illos favores obnoxius sis, ne tibi aliquando à supremo Archistratego milites suos coronaturo objici possit. *Recepisti mercedem tuam*, scilicet vilem illam, quam tanquam ignavus Christi miles à mundo hoc experiisti. *2dò*, ut eandem animi magnitudinem & æquabilitatem retineas, sive agas cum benè, sive cum malè erga Societatem affectis, sive amico, sive torvo excipiâre vultu, nec animum ob successum minùs prosperum despondeas, vel ob labores, & occurrentia tædia à bono opere pro gloria DEI & animarum salute inchoato desistas. *3tiò*, ut, dum convitiis, sarcasmis impeteris, nôtis distinguere eos, qui ex malo erga Societatem animo, & qui ex curiositate [ut genium tuum, & à qua parte debilior sis, explorent] varia criminantur. In ejusmodi occasionibus *habeat responsum tuum caput*, *Eccli.* 32. & vide, ut, si quid silentio melius habes, cordatè cum phlegmate in numero, pondere & mensura eloquaris, ità ut juxta *reg.* 16. *Concion.* *nec sancta libertatis, nec bonæ de te conceptæ existimationis, quæ ad fructum colligendum*

De operibus quotidianis. § 5

necessaria est, opinionem amittis; & simul tamen juxta reg. 18. religiosam modestiam & humilitatem, cui ex intimo cordis affectu studere debes, in omni actione praeferas. Nam sine demissione animi, ut docet S. P. N. apud Turcelin. L. 4. c. 17. germanaque humilitate non tibi, aliisque prodesse poteris, non DEO carus eris, imò illud (solebat idem S. P. N. dicere) pro certo tenemus, multò magis veram submissionem ad salutem & conversionem animarum valere, quàm humanam auctoritatem vel cum tenuissima ambitionis aut arrogantis suspitione conjunctam. Hinc cui ex splendidis officiis aliquid adheret vanitatis, minùs sapè boni faciet, quàm simplex frater.

Explicatio puncti 6ti.

ANte omnia cave, ne genius quidam dominativus, acer, impetuosus, impatiens, ad invectivas, scommata pronus in te appareat. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina,* ad Tim. 4. ut ille, quibuscum agis, omninò persuasi sint, te nil dicere aut agere, nisi ex vero erga eos amore, & spiritu genuino Christi, qui fulgura & fulmina evocantes è cælo Discipulos increpavit, & hanc perpetuò iis lectionem dedit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quod à DEO est, cum humilitate & obsecratione imperatur: quod autem ex potestate, cum furore & perturbatione, à maligno est, agebat quidam Senex in vit. PP. L. 5. c. 15. & Aug. Tr. 7. in Epist. 1. Joann. c. 3. Semel breve